



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXIV. Ad perfectum Dei amorem necessariò requiri, ut reprimamus voluntatem propriam, imò ut illâ etiam nos omnino abdicemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

*vierunt, habeo.* Quarum exercitationum tu  
 fu, ceu perges magis semper, ac magis pro-  
 posterum tuæ carnis amorem in tuo animo  
 extinguere; sic ulterius semper, atque ulterius,  
 remotis nimirum, qui ab illo veniunt,  
 obicibus, in sanctissimo DEI amore profice-  
 es. Testatus olim de se fuerit examinatus  
 ille Israëlis Rex: (*Eccles. c. 2.*) *Omnia, quæ  
 desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec pro-  
 hibui cor meum, quin omni voluptate fruere-  
 tur.* O quantò nobilior contestatio tua erit, si con-  
 traria omnino ratione profiteri de te possis.  
*Omnia, quæ desideraverunt sensus mei, negavi  
 & prohibui cor meum, nè ulla voluptate fru-  
 retur.*

## CAPUT XXIV.

Ad perfectum DEI amorem  
 necessariò requiri, ut reprimamus  
 voluntatem propriam, imò  
 ut illâ etiam nos omnino abdice-  
 mus.



Perfecta mortificatio nihil est ali-  
 ud, quàm omnimodum, & un-  
 versalis amoris proprii antipathia  
 tota: nempe odium, fuga, & ab-

dicatio eorum omnium, quæ homines ex innato amore sui appetunt. Quapropter, quemadmodum unusquisque nostrum geminis partibus constat, alterâ externa, & sensibili, quæ est corpus; altera interiori, & spiritali, quæ est anima, nec nisi appetendo, quæ grata illis sunt, amare se ipsum potest; ita mortificatio in duas & ipsa partes dividitur, alteram, quæ bellum gerit cum innatis appetitibus corporis, & exterior mortificatio appellatur; alteram, quæ naturales animæ ad præsentia bona sua instinctus oppugnat, dicta proinde mortificatio interior, vel juxta Apostoli phrasim (*Ad Rom. 2.*) *Circumcisio cordis in spiritu.* Cum igitur de priorè illa satis jam disputatum sit, superest, ut de posteriore instituemus porrò agere: demonstrando tum præsentis capite, quomodo illa innato propriæ voluntatis amore hominem exuat; tum in proximè secuturo, quomodo eundem ab innatis intellectûs affectionibus purget.

2. Prius tamen, quàm id facere aggrediar, necesse habeo explicare, quidnam sit ille amor voluntatis propriæ, qui exturbandus ab anima est, ut puro, & perfecto DEI amoris in eam aditus pateat. Cujus rei gratiâ sci-

endum est, naturale id homini esse, ut propter simplicem, & absolutum amorem, quo objecta amabilia primò vult, quatenus per se bona, alio quoque secundario, & reflexivo amore eadem prosequatur, quatenus à se jam probata, atque volita: quod est non ipsa duntaxat, sed suam itè in ipsis voluntatem amare. Unde fit sæpenumero, ut quamvis post alicujus rei electionem, aliæ homini occurrant rationes contrariæ, quæ si antea occurrissent, nequaquam electurus eam fuerat; nihilo tamen minùs illam velle adhaerere pergat, non alia utique de causa, nisi quia se mel voluit, atque ex amore erga primum circa illam voluntatis suæ placitum.

3. Animadvertendum quoque est, propter instinctum particularem, quo unusquisque fertur, ad volendam, decernendamque hanc vel illam actionem, quæ ipsi honesta utilisve, aut jucunda apparet, alium quoque universalem instinctum in anima existere ad volendam, & agenda, quæcunque vult, eoque cum plena libertate ex suo mero arbitrio, & sinè ulla vi externa. Unde mox sequitur, ut multa, quæ non modò non invicem sed hilariter quoque, & magna cum animi delectatione agebamus; si contingat à nobis fieri.

strorum Præsidum aliquo pro legitima potestate imperari; novæ illis superadditæ obligationis ergo, insuavia confestim, atque exosa nobis evadant: utque eadem de causa grave admodum experiamur, à multis abstinere, si lege aliqua interdicanur, quæ agendi ante latam legem, & cum omnino liberi essemus, nè minima quidem nobis incidebat cogitatio, & voluntas.

4. Valebunt ad rem confirmandam, & clariorem reddendam miri duo eventus, à Cæsario literis proditi. (L. 4. c. 76. § 77.) Erat, scribit ille, in Germania vir præclari generis, & opibus pollens, nomine Henricus de Vvida: hic audiens aliquando ab uxore graviter, & multa cum indignatione accusari Evam, quòd tam facile DEI præceptum, quàm erat abstinentia ab uno pomo, per miram, & vix credibilem animi impotentiam fregisset, noluit incorrectam dimittere nimiam mulieris garrulitatem; quid autem, subjecit, ô domina! si tute, quæ in Evam acerbè adeò nunc inveheris, legem multò faciliorem observatu, quam ego tibi imposuerò, leviori, imò nulla de causa præteriveris? Age, cominus experimentum rei capiamus. Vidistine cœnosam illam juxta nostras ædes

paludem? Lex esto. Nè per illam unquam  
incedas, quadraginta argenti marcas soluta-  
ra, si id faxis. Risit uxor, dictamque sibi  
legem simul cum apposita multa joci insular  
secura, & lubens accepit: utpote quæ certum  
in animo haberet, vel centenas prius mar-  
cas erogare, quàm lutulentis iis aquis pedes  
immergere; nedum se ab iis intactam serva-  
re, nè penderet quadragenas. Sed quid por-  
rò? Mariti interdictum animo reputans, cepit  
insolenti quadam, & vehementiori indies  
cupiditate ad vetitum stagnum subeundum  
impelli: neque unquam juxta illud transibat,  
quin avidè intueretur, & quando non liceret  
gressibus, oculis illud saltè, atque obtutu-  
bus perambulare. Postremò vecors illa  
atque effrænis pruritus in tantum excrevit,  
cùm aliquando illac transfret, conversa  
pedisequam dixerit: atqui ego disfrumpi  
sentio, nisi hanc lacunam ingrediar: neque  
ultra temperare sibi valens, genuum tenuis  
eam penetravit, pergens ibi discurrere, quò  
ad insanam suam explevisset libidinem. Non  
sinè magna viri voluptate, quando ab explorato-  
ratoribus, quos clama observare illam jus-  
erat, factum rescivit: nec minore cum ipsius  
rubore, ubi domum reversa interrogari

ab eo audiit, quàm commodè novo balneo  
ufa esset, mox de sua phrenesi potiùs, quàm  
animi impotentia irrideri, & argentum re-  
posci, cujus solvendi ex conventis rea erat.

5. Alterum exemplum adhuc mirabilius,  
& cujus fides sit penes nominatum authorem,  
vir præbet, quàm genere illustris, tam mori-  
bus sordidus, sed à flagitiosa demum vita me-  
liorem ad frugem conversus. Cui cum Sa-  
cerdos, Sacramenti Pœnitentiæ administer,  
non inveniret, quid pœnæ post criminum  
confessionem statueret; ( nihil quippe injun-  
gebat, quin homo delicatus negaret, id obiri  
à se posse ) illud tandem præscripsit, ut ad sa-  
tisfaciendum DEO pro admissis sceleribus ab-  
stineret toto vitæ suæ tempore à quibusdam  
cæteroqui amarissimis pomis gustandis, quo-  
rum arborem suo habebat in prædio. Et  
quàm non levis pœna hujusmodi fuerit, pa-  
lâm fecit eventus. Qui enim antea gravissi-  
mæ locò pœnæ duxisset, tam ingratis fructi-  
bus vesci; post imperatam sibi eorum absti-  
nentiam stimulari acerrimè ad degustandos  
eos cœpit. Néve longiùs rei exitum morer,  
tanta die quodam tentationis vehementia, at-  
que immanitas fuit, ut postquam diu secum  
toto animi nisu colluctatus fuisset, jam ad po-  
ma

ma extendens , jam ab illis revocans manum , præ nimia denique resistendi violentia animam sub illa ipsa arbore efflaverit.

6. Hic ergo instinctus operandi semper ex libera propensione animi , nec alia quam arbitratûs sui lege , & hic rerum à se electarum amor , non propter insitam solummodo eis bonitatem , sed propter earum quoque electionem , prava illa est erga voluntatem propriam affectio , de qua hic disputamus. Circa quam observandum adhuc superest , & assidua incrementa illam capere in singulis operationibus nostris , non improbis tantum , sed etiam suapte naturâ honestis , quæ impetente illa fiunt , veluti exempli gratiâ , ubi quis jejunit , vel inopi stipem largitur , ex suo duntaxat arbitrio , gaudetque , quòd libere eorum tatur : cùm enim , quoties ita operamur , non vo semper aliquo actu voluntatem propriam amemus ; fieri non potest , quin hujus amorem ex unoquoque illorum actuum novum incrementum ducat , & tantò plus sunt , tantò altiùs radicetur in anima , tantòque plus acquirat virium. Unde porrò consequitur , ut , quemadmodum homines à prima ætate consuecunt voluntatem propriam amare , & ubicunque possunt exequi ; neque



solum illius gratiâ DEI leges sæpissime violant, verum etiam in rectè operando illius plerumque impulsu moventur, eique gratificari student, sic ipsa processu temporis immanè quantum corroboretur, & gliscat, adeò ut incidente postmodum occasione peccandi, extremo quodam conatu opus sit ad duplicem pravam propensionem vincendam, alteram naturæ erga illud sibi volupe objectum, alteram voluntatis erga libertatem sua sponte, & sinè ulla exteriori coërcitione operandi.

7. Quòd verò hic voluntatis propriæ amor perfecto DEI amori valde adversetur, nemini non proclive cognitu est. Primò quippe efficit, ut nostri actus vel non placeant, vel minùs placeant DEO: prout ex eo Isaia loco apertè colligitur, ubi interrogantibus Dominum: *Quare jejunavimus, & non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescivisti?* (c. 58.) illa statim redditur causa: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra:* Perinde quasi hæc intùs corrumpat, quæ rectè fieri extrinsecùs jubet. Neque objicias, bona hominis opera tantò plus perfectionis, & meriti habere, quantò alacriùs, & minore cum animi repugnantia peraguntur; qua-

re cum ita peragi soleant, quæ sua sponte, & ex libera electione homines faciunt; propriæ voluntatis dulcedinem, amorémque tantum abesse à bonorum operum perfectione diminuenda, ut ad eam potius intendendam conducant. Quamvis enim admittam, quæ alacrius fiunt, majoris communiter pretii, ac meriti esse, fatearque, quoties duo aliquid faciunt, quod utrique prorsus ex æquo arduum est; ab utro id promptius, alacriusque fiat, ab eodem etiam majori cum virtutis laude, ac merito fieri; nego tamen, si idem opus alteri facilius sit, eaque major facilitate nequaquam ex illius virtute oriatur, si minori cum labore animi ab hoc fiat, perinde esse, ac efficaciori, magisque perfecta cum voluntate, & ampliori cum merito fieri. Sic exempli gratiâ, si duo ejusdem conditionis, & valetudinis, Lauretanam peregrinationem nudis pedibus suscipiant, nemini esse dubium potest, quin qui minus reluctante animo illam obit, efficacioris propositi, ac voluntatis specimen præbeat. At si alter quia moliter educatus, neque unquam nudo pede humum premere assuetus, ceu plurimum laboris, & incommodi; ita etiam nonnihil naturalis repugnantix in ea peregrinatione ex-

peritur; alter verò, utpote homo rufficanus, quique pedes affiduo terræ attritu callofos, & penè ipsamet terra duriores habet, uti nihil moleffiæ percipit, fic absque ullo animi renifu iter absolvit; quisnam ideo majorem in hujus, quàm in primi actione virtutis præstantiam, voluntatis vigorem, & meriti dignitatem reperiri arbitrabitur? Universè loquendo, repugnantia, & minor alacritas in bene operando, si non fit voluntaria, neque ex negligentia, voluntatis tepore, prava consuetudine, aliòve morali operantis vitio, sed ex mera operis, & hujus circumstantiarũ difficultate proveniat; ad augendum valet potius, quàm minuendum meritum interioris actûs, à quo superatur: cùm occasionem ei præbeat, imò etiam necessitatem imponat exerendi se validiùs, & majori cum nisu virtutis, quàm alioqui faceret, si nihil obstaculi perumpendum haberet. Quemadmodum altera ex parte proclivitas voluntatis ad operationes rectas, si originem ducat, non ex consuetudine illas sæpe exercendi, seu ex flagrantiori amore boni honesti ad eas impellentis, seu ex alia perfectione operantis; sed ex eo, quòd earum materies, vel suopte ingenio, vel ratione alicujus circumstantiæ nequa-

qua-

quaquam per se ipsam honestæ facilis fit; ad  
 extenuandum potiùs facit, quàm ad inten-  
 dendum valorem actûs eas imperantis: utpo-  
 te qui, quantò minùs contentiosus, & pu-  
 gnax, tantò esse consuevit remissior, ventis  
 instar ibi minùs impetuosi, ubi nihil sibi ob-  
 stat: cujus proinde exemplo uti quilibet po-  
 test circa suæ modum virtutis, nihilo minùs  
 aptè, quàm Cæsar usus sit, circa suos in bel-  
 lis processus, dicens cum illo: (*Lucan. l. 3.*)  
*Ventus ut amittit vires, nisi robora densa occur-  
 rant sylvæ, spatio diffusus inani; sic hostes mihi de-  
 esse nocet, damnûmque putamus armorum, nisi  
 qui vinci potuere, rebellent.* His ergo præmi-  
 sis, sumamus, age, quempiam voluntatis pro-  
 priæ amatorem, non obscure apparebit, quan-  
 tû is hac de causa detrahat perfectionis, & me-  
 riti operibus suis, tum quæ suo ipse arbitra-  
 tu facienda suscipit, tum quæ ab obedientia  
 ipsi imperantur. Multum sanè primis detra-  
 hit: cùm ea faciliora, & leviora sibi reddat,  
 quàm suo ingenio communiter sint, neque  
 id per supernaturalem DEI, virtutis amo-  
 rem, sed per affectum naturalem, minimè  
 que honestum, delectationem videlicet ope-  
 randi ex propriæ voluntatis instinctu. Sed  
 longè etiam secundis plus detrahit: cùm,  
 quare

quantò impensius quisque amat, libere, & sua sponte operari; tantò plerumque illibentius suscipit, minorique cum attentione, & sedulitate obit, quæ præter suam electionem alieno jussu exequi cogitur. Quamobrem, esto, qui talis est, plus mereatur in operibus bonis, ultro à se electis, quàm à superiori potestate sibi injunctis; (prima enim saltè plenè volens, amantèrque, & studiosè, altera verò gravatè, invitùsque, nec cum accusatione debita agit) non tamen in iis ipsis tantùm meretur, tantàmque cum interiori perfectione illa exequitur, quàm alter, qui hostili ubique odio propriam voluntatem insectans, etiam quando aliquid recti operis ultro eligit, nullam ibi rationem sui placiti habet, neque ullo ejus instinctu, sed puro unius supernaturalis honestatis amore ad operandum movetur. Atque ità nihil homo aliud ex propriæ voluntatis studio consequitur, nisi, ut faciat & cum naturali voluptate opera bona à se electa, & cum voluntaria animi ægritudine à legibus, vel præsidibus sibi imperata, nempe & prima cum minori merito, & finè ullo penè merito, imò etiam non rarò cum reatu culpæ altera; justam occasionem D. Bernardo suppeditans colligendi:

Gran-

*Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint. (Serm. 71. in Cant.)*

8. Parùm tamen est voluntati propriæ, veneno suo inficere, & minùs accepta DEO reddere bona opera, quæ vel juxta, vel contra ejus instinctum à suis amatoribus sunt; pergit ulterius illud etiam efficere, ut homo à DEI jurisdictione, & imperio se subtrahat nullum habere præsidium volens, sed ipsemet sibi unica vivendi lex esse. Quod est usurpare sibi auctoritatem, & prærogativam unius DEI propriam, nec se ultro pro subdito gerere, sed protervi instar Luciferi collegam ipsius esse, atque æmulum velle: *Tenebrosa*, prout loquitur Augustinus, *omnipotentia similitudine*: (L. 2. Conf. c. 6.) nec minori cum ejus injuria, quàm quæ Regi à subditorum aliquo fieret, si ex adverso ipsius erigere sibi folium, vel diadema supremæ potestatis insignis suo capiti imponere auderet. *Solus Deus* (inquit D. Anselmus) *quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se.* Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, quasi DEO affert suam coronam. Sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli DEO. Et si quis Regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei

auferret; sic homo inhonorat DEUM, qui aufert  
ei voluntatis propriæ privilegium, habendo quod  
ille debet habere solum. (c. 8.) Certè, quantò  
unusquisque voluntati suæ adhæret tenaciùs,  
tantò est à divina amplectenda, & exequenda  
alienior: neque priùs hæc omnino dominari  
in anima potest, quàm illa indè abacta peni-  
tùs fuerit. Cùm igitur prædictæ duæ volun-  
tates adeò sibi invicem repugnent, ut, ubi  
plus de una reperitur, minùs existat de alia,  
& ubi altera summum obtinet gradum, alte-  
ram ibi prorsus aboleri necesse sit; possumus  
cum authore modò dicto colligere: (Ibid.)  
*Sicut voluntas propria DEI fons est, & origo to-  
tius boni, sic propriam voluntatem hominis totius  
esse exordium mali.* Cujus conclusionis veri-  
tatem clariùs perspiciet, quisquis animadver-  
tet immensam tot scelerum, ac vitiorum col-  
luviem, unde hominum vita fœdissimè infi-  
citur. Omnia quippe singillatim percurrans  
nullum reperiet, quod veluti ex universali  
quodam fonte non profluat ex perverso ap-  
petitu vivendi sinè ullo superioris potestatis  
fræno, & sinè alia nisi voluntatis suæ lege.  
Neque hoc animadverso D. Bernardum hy-  
perbolicè existimabit locutum, ubi scripsit:  
voluntatem propriam unicum esse pabulum,  
quo

quo nutriatur, & sinè quo deficeret ignis tartareus. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* (Serm. 3. de Resur. Dom.)

9. Nihil itaque miri est, quòd, cum nostra hæc voluntas sit tam perduellis DEO, impatiens subjectionis ipsi debitæ, ipsius placitis, legibusque contraria, criminumque omnium, quibus offenditur, causa; veri omnes illius servi nihil enixius contenderint, quam eam omnino delere, & extinguere, tum in se ipsis, tum in eorum animis, quos Christianæ perfectionis disciplinâ imbuebant: etiam sanctissima nonnunquã opera prohibentes, ad quæ vehementiori pietatis ardore viderentur ferri, & eos contra exercentes in actionibus supervacuis, ineptis, humanæque prudentiæ contrariis, ad omnem in iis profiganam proprii iudicii, & propriæ voluntatis sententiam: adeò ut remanerent instar puerorum rationis usu carentium, aut veluti instrumenta inanima, quantò magis vacui proprio quovis instinctu, motuque, tantò inde aptiores ad excipiendos divinæ voluntatis impulsus. *Multis siquidem experimentis edocti, (prout antiquis Ægypti Patribus testatur Cassianus) tradunt, nè voluptatem quidem concupiscentiæ superare posse, sed nec in cœnobio quidem perducere.*



rare diutius, qui prius voluntates suas non didicerit superare. (L. 4. c. 8.) Ità ( ut peculiari aliquo exemplo rem declarem ) D. Franciscus legitur, Masseo socio suo præcepisse, ut publica in via tamdiu versare in orbem se pergeret, quoad coorta indè capitis vertigo consistendi impotem humi afflixisset. ( *Plat. de Bon. St. Rel. L. 1. c. 18.* ) Ità quoque Abbas Joannes jussus à Præsidente est, iudicii, & arbitrii proprii elidendi causâ, depactum humi aridum stipitem, bis quotidie unius anni spatium irrigare. ( *Cass. L. 4. c. 24.* ) Et in D. Philippi Nerii vita bene longum caput occurrat, iussa continens heteroclitica, inque speciem absurda, quibus vir sanctus spirituales suos alumnos eadem de causa exercebat: ( *L. 2. c. 19.* ) solitus imposita fronti manu dictitare totius sanctitatis summam intrà illud trium digitorum spatium, hoc est, ut addebat, *in rationali parte subigenda* consistere. Poteratque id hausisse ex Cassiano, & D. Bonaventura, affirmantibus, primo: ( *Coll. 19. c. 8.* ) *Finem Cœnobitæ esse, omnes suas mortificare, & crucifigere voluntates*; altero autem: *Totam Religionis perfectionem in voluntatis propriæ abdicatione consistere.* ( *Spec. Disc. c. 4.* )

Qq

10. Juxta

10. Juxta quæ documenta, & exempla quisquis optat divina voluntate penitus informari, nullumque in suo animo instinctum ac motum ei contrarium habere, debet pectore ad oppugnandam voluntatem propriam incumbere: quasi capitalissimum Deum & sui hostem, ipsoque etiam capitaliores dæmone, qui sine ipsa nihil per se potest nocere: firmissimè apud se statuens, nulla unquam in re ipsi indulgere, sed omnes potius illius divexandæ occasiones quærere, quousque deficiat, & sola illius locò sanctissima DEI voluntas animam occupet, sola ibi dominetur, sola omnium illius motuum, affectuum, actuumque principium sit: atque nihilominus conniti, ut eam indè exturbet, quam cœciter niteretur, ut malum aliquem orci genitum suo corpori fortè inhaerentem ab illius possessione exturbaret. Quam in rem validissimè adjurationis, & exorcismi præsentissimè locò illi erit accurata sequentium octo capitulum praxis.

11. Primò itaque curet, peculiari modo re illas actiones complecti, ad quas cogitatione seu communi Ecclesiæ præcepto, seu ratione proprii statûs, ac muneris, seu moderatoris sui jussu: chariores illas habens, &

bentiùs exequens, quàm alias ultro à se electas. Tum quia minùs in his loci est voluntati propriæ, quam acerrimè odit, & exclusam quovis pacto ab anima vellet: tum quia dubitare nullo modo potest, quin has obiens voluntatem DEI impleat, qua de re in aliis merè arbitrariis certus non est: tum denique, quia opera sponte suscepta unicum tantummodo meritum habent, proprium nempe virtutis illius, ad quam pertinent; at imperata aliud huic superaddunt, & sæpe majus, obedientiæ videlicet meritum. Meritum sanè, parùm multis compertum, nihil se mereri arbitrantibus, dum aliquid jussu agunt: qui (feri revera potest) ut ejusmodi opera vel sine ullo, vel exiguo cum merito agant, eò quòd illis vel inviti, atque ægre ferentes, vel absque debita animadversione, & communis tantummodo usùs gratiâ fungantur: quod etiam, prout paulò antè dixi, unum est ex damnis à propriæ voluntatis, & electionis studio oriri solitis, nempe ut cum minori ceu diligentia, atque amore, sic merito itidem fiant, quæ citra liberam electionem, jussu, & vi potestatis legitimæ fiunt. Cæterùm qui occasione incidente aliquod vel suorum præsidium, vel Ecclesiæ præceptum implendi,

Qq 2

di,

di, divinam ibi voluntatem advertit, præque hujus amore, atque studio rem præceptam libentissimè exequitur, dubitari minimè potest, quin ità ex obligatione operans, quam apud DEUM mereatur, quàm si rem eandem propriæ voluntati obsecundans libere agendam susciperet.

12. Secundò, ex ipsismet præceptis maximè amet, gaudeátque implere, quæ innatis propensionibus suis specialius repugnant: utpote quæ & majori sibi sunt adhibito ad referendam de suo hoste domicilio, propria scilicet voluntate, victoriam, tutiorem se reddunt à periculo, operanti humano, & naturali aliquo instinctu. Ex quo cujus periculi metum nunquam esse potest, dum ea sibi præcipiuntur, erga quæ à natura ipsa impellitur; idque videtur monuisse Gregorius, dum scripsit: (L. 35. Mor. c. 11.) *Sciendum summopere est, quòd obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquid autem, si de suo aliquid non habeat, minima. In adversis ergo & in adversis ex suo aliquid habere, rursus in prosperis ex suo aliquid omnimodo habere: nimirum, quando majorum præcepta nostræ voluntati adversantur, debere ab illis recipi, & impleri cum peculiari affectu, quòd*

si aliquid suum, & sibi naturaliter gratum: quando verò amica eidem sunt, sinè ullo speciali sensu, ac si illa nihil ibi proprium, & sibi congruens agnosceret. Vel, in primis præter amorem ipsius præcepti ex generali obedientiæ impulsu ipsam quoque rem præceptam ex peculiari suimet causa esse amandam; at in secundis meram obedientiam, & præcipientis voluntatem, sinè ullo erga rem præceptam geniali affectu amari oportere. Quod idem de iis pariter valet, quæ DEI nutu in hominum vita continenter eveniunt: nempe inter hæc quoque hominem propriæ voluntati inimicum, illiusque in se ipso abolendæ studiosum, ità esse animo comparatum debere; ut ea lætiori animo excipiat, quæ magis intestino illi suo hosti adversantur, impensiorique cum affectu in his, quàm in aliis se divinæ voluntati subjiciat, denique juxta D. Gregorii locutionem, hinc quoque *de suo aliquid habeat*, idque ob easdem suprà allatas rationes: quia scilicet hoc genus eventuum & majorem vim habet elidendi propriam ipsius voluntatem, & omnem timendi causam ei aufert, nè ad eos libenter accipiendos ab humano potius, & naturali suo sensu, quàm à puro DEI, & sanctissimæ illius voluntatis a-

more impellatur; juxta quem sensum explorari etiam potest celebre illud Jobi argumentum; (c. 2.) *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiamus?* Perinde quasi dicat vir sanctus, si res secundum proprium nostri amorem foventes, procul periculosas, & sæpe animis noxias à DEO gratulanter suscepimus, quidni cum eadem imò etiam cum majori gratulatione suscipimus adversa, unde nullum spiritualis societatis impendet periculum.

13. Te tamen, caveat etiam atque etiam, ne nimium impetuosus in suis, esto sanctis cupiditatibus sit, volens earum finem quomodo modo assequi, exemplo illius M. Bruti, quo dictum à Julio Casare est: (Cic. Ep. 14. ad Att.) *Quidquid hic vult, valde vult:* sed iusta cum moderatone animi, quæcumque vult, velit: adeò ut posteaquam honestis causis aliquid faciendum decreverit, quietè intra se maneat, paratùsque ad excipiendum finè ulla perturbatione qualemcunque illi exitum; aut si ob fervidiorem naturæ habitum, minorè inque subigendæ voluntatis propriæ assuetudinem consistere in ejusmodi equilibrio nequit, à proposita re volenda, urgenda interdum desistat: pluris faciat

ab impotenti propriæ voluntatis tyrannide  
in libertatem se asserere, quàm hoc vel illud  
non necessarium, nec permagni momenti o-  
pus patrare. Quæmadmodum communiter  
fieri à providis, peritisque animarum Recto-  
ribus cernimus: qui si ex alumnis suis ali-  
quem nimio impetu, & ardore in virtutis  
curriculo abripi videant; solent, tanquam  
pullum equinum liberiùs exultantem addu-  
ctis frænis compescere, jamque frequentio-  
rem Eucharistiæ usum, jam extraordinaria  
jejunia, & alias similes laudatissimas cætero-  
qui exercitationes illi interdicare: satiùs ar-  
bitrantes, hac quasi diætâ illius vires nonni-  
hil extenuare, quàm in illa piarum quidem,  
sed plus justo effervescentium appetitionum  
febri incuratum relinquere. Atque ad hanc  
voluntatis moderationem pertinent quoque,  
veluti propria ejus materies, supervacuz co-  
gitationes, & curæ de rebus aliis post alias per  
longissimam futuri temporis seriem geren-  
dis: nec non præceps aviditas confestim op-  
portuno importuno tempore agendi, quæ  
geniùs suadet, anxiæque, & inquietæ sollicitu-  
do, quàm primùm absolvendi, quæ habentur  
præ manibus. Ad quas animi perturbatio-  
nes componendas opus erit, ut conetur, quan-  
tùm

Qq 4

tùm

tum potest, eas solummodo res cogitare, & velle, quibus in præsentis operam dat, aliarum curam in tempus, quo gerendæ erunt, seponens: ut cum literas à tabellario accipit, seu recens aliquis magnæ famæ liber in manus ei venit, superfedeat ad aliquod tempus hujus, illarumque lectione conceptam animi curiositatem explere: ut si inter agendum aliò vocetur, nè differat eò ire, præ aviditate absolvendi prius sui operis, quamvis jam penè ad finem perducti, sed continuo illud abrumpat, vel literam, si tunc scriberet, imperfectam relinquens: ut in libris legendis, nè paginas nondum lectas evolvat, cogniturus, quot ad præsentis capituli, aut libri finem supersint: neque, cum jam instat tempus ad alia se opera transferendi, lectionem properantius, sollicitiusque urgeat, præ studio totius percurrendæ, quam est ingressus, maturariæ: quin potius, quando hujusmodi anxietatem in animo sentiet; paulò antè tempus librum complicit, ultro & dedita operam integram novæ posteriori lectioni reservari ultimam periodum, sive lineam capituli, quod legendo absolvisse tunc vellet: ut denique turbulentis de hoc genere voluntatis propriis appetitibus nunquam morem gerat: sed no-



verit, has esse illas vulpeculas, de quibus in Canticis legimus: (c. 2.) *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*; ideóque, velut bestias nocentiores, quàm parvitas suæ causâ videantur, suis illas in cubilibus, ac lustris pervestiget, nullam deprehendens, quin severitate inexorabili, vix primò animadversam suffocet. Ad quam severitatem suo præit illi exemplo ethnicus Sapiens Socrates: solitus, quando siti urebatur, primam è puteo educam aquæ urnam, ut naturæ quantocyus refrigerari inhiantis aviditatem comprimeret, prorsus illibatam effundere, nec nisi alterâ indidem haustâ, faucium ardorem lenire. (*Plut. de Garrul.*)

14. Quartò, quoties naturalis sensus ad aliquid faciendum propendet, cujus contrarium DEO noverit esse gratius, pro immobili, & perpetua lege habeat, ex divino potius, quàm ex suo placito sibi esse operandum. juxta Christi Domini exemplum, qui veluti de se fuerat generatim professus: (*Joa. 5.*) *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*; sic, quamvis postea inferior suus appetitus acerrimis tædiis, & mœroribus morti à cælesti Patre sibi decretæ repugnaret; nullam tamen contrariorum ejusmodi affe-

Etuum rationem habuit, sed eos omnes plenissimo cum obsequio paternæ voluntati subjecit: *Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Imò affuefcit præterea, genii sui propensiones nihil pendere, non solum quoties cum maiore DEI gloria in contentionem veniunt; sed & quando à cæterorum hominum studiis, votisque discrepant: adeò ut paratus sit, in quovis tali eventu his potiùs, quàm illis morem gerere: liquefaciens cælesti igne illum charitatis, quæ non querit, quæ sua sunt, omnem propriæ voluntatis duritiem, remanentque instar corporum liquidorum, quanto magis propriæ cujuscvis figuræ, & conformationis expers, tantò ad omnem, quæ aliunde sibi obvenit, recipiendam facilior. Qualem D. Paulum fuisse illa demonstrant ipsius verba ex capite decimo Epistolæ primæ ad Corinthios: *Ego per omnia omnibus placeo, non querens, quod mihi utile est, sed quod multis:* & illa ibidem ex capite nono; *Cùm essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. Factus sum Judæis, tanquam Judæus essem: iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem: iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Factus sum omnibus omnia.* Cùm è contrario, qui tenaces arbitrii sui

fui sunt, solidorum instar corporum, æris putà, vel marmoris, difficillimum experiantur, maximèque violentum illud flectere, juxta divini obsequii, & promiscuæ charitatis impulsus. Unde & multa agere omittunt, quibus magis placere DEO possent; & vix unquam inducunt in animum obsecundare iis, quibuscum vivunt, conanturque potius ad suum illos placitum trahere, quàm ipsi se accommodare illorum votis, & propensionibus velint.

15. Quintò, ad consequendum hoc dominium supra voluntatem propriam, & hanc facilitatem ejusdem, post DEI, & proximorum rationes habendæ; progrediatur ad operandum semper contra ejus instinctum etiam in rebus naturâ suâ indifferentibus, & ubi nulla virtus suadet, illi potius repugnare, quàm obsequi: pro validissima, & plùs quàm sufficienti ratione habens illius oppugnandæ pleniorè dominatum, quem super ipsam, cunctosque illius motus hoc pacto assequetur. Et certè hic vel unicè, vel quàm maximè directum, ac formale hominis adversus voluntatem suam odium elucet: quando, licèt nulla alia peculiari utilitate, & causa impellente, contra propensiones illius operatur,

tur,

tur, unico motu domandi, & subigendi illam studio. Unde etiam supremum universitatis Conditorum videmus, ut primi homines discerent, suam illi directè, atque propriè voluntatem subicere, non satis putasse, sola illos naturali lege obstringere, utpote cujus observatio, vel citra Legislatoris respectum, atque obsequium, ex mera sua voluntate diligere poterat: sed præceptum insuperis adjecisse, secundum materiam suam omnino indifferens, & in quo exactè servando nihil boni, honestique præter obedientiam foret: adeò ut ad illud amandum impelli non nisi ab amore hujus possent. *Non potuit DEUS perfectiùs demonstrare (scribit D. Augustinus) quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit penam. Bonum est, nolo, tangas: bonum, sed obedientia melior. (In Ps. 70.)* Imò Spartanorum quoque mos erat, ut Ephori, supremus apud eos magistratus, vix suum munus ingressi, promulgato publicè edicto cives universos raderet sibi barbam juberent: non alia, ceu advertit Plutarchus, (In Vit. Ag. & Cleom.) de causa, nisi ad obedientiæ exercitium: quod nunquam magis proprium, expressumque est, quam

quàm cum res imperantur nullius per se ipsas  
momenti, neque ullam habentes, cur faciant,  
nisi quòd imperatæ sint, causam. Jam verò,  
quemadmodum voluntas ad nonnullas ex his  
actionibus suapte naturâ indifferentibus, ho-  
minique liberis fertur, vel secundum substan-  
tiam earum, vel secundum hæc potius, quàm  
illa modi, temoris, loci, & instrumentorum  
adjuncta; sic duplex esse potest illius compri-  
mendæ exercitium. Primum quidem, si o-  
mnino omittantur illæ actiones non necessa-  
riæ, ad quas ipsa suo instinctu nos stimulat,  
cujusmodi sunt: prodire è cubiculo, floscu-  
lum in horto carpere, hoc vel illud objectum  
intueri, & sexcentæ aliæ, quarum cupiditas  
subinde in animo exoritur. Secundum ve-  
rò, si quæ aguntur, fiant modo, tempore, &  
loco minimè commodo, ipsique maximè in-  
vivo: lentiùs verbi gratiâ operando, cum il-  
la ad properandum urget: primo quoque  
tempore agendo, quæ cæteris molestiora ipsi  
sunt, & differendo, quantum fas est, quæ ip-  
sa, ut suo genio apprime jucunda, fieri pro-  
tinus cuperet: eligendo sibi locum in tricli-  
nio juxta personas, sordibus, putore, aut a-  
lio naturali vitio proximis graves, neque tam  
in mensarum capite, quàm in medio, ubi  
mi-

mi-

minùs liber est situs. Nè alios præterea in-  
 numeros referam retundendæ, vexandæque  
 voluntatis propriæ modos, quibus latillimum  
 hæc promiscuarum actionum adjuncta cam-  
 pum aperiunt. Quòd si adjunctorum diffe-  
 rentiæ, quantum ad commoditatem agendi,  
 essent pares, ceu exempli gratiâ in hoc, aut  
 illo scamno consistere, in hac, aut alia tem-  
 parte genua ad orandum flectere, aliæque si-  
 miles; licebit tamen & tunc voluntatem pro-  
 priam contundere, si aliud semper eligatur,  
 quàm quod visum primò ipsi fuerit: ità ut in  
 agendi procinctu eâ consulamus, circa electi-  
 onem hujus, vel illius singularis differentiæ,  
 permittendo, ut ipsa certam quampiam no-  
 minatim decernat, mòxque, ubi id fecerit,  
 statim subsciendo: itàne hoc tibi probatur?  
 Ast ego, ringaris licèt, rumpari/que, illud  
 alterum eligo. Et hac illam ludificandi rati-  
 one centies per diem, nempe in ordinariis  
 quibusque nostris actionibus uti poterimus:  
 eritque ars mirè efficax ad propriæ volunta-  
 tis excidium. Imò, quantò ea, inter quæ se-  
 lectio versatur, minutiora fuerint, devio-  
 que momenti, & magis inter se æqualia, adeò  
 ut nihil magis appetendi in una parte, quàm  
 in altera occurrat, tantò in abrogandis, quæ  
 ipsa

ipsa elegerit, professum contra ipsam odium  
 luculentiùs se prodet: utpote quod, licet nul-  
 læ adfint aliæ utilis, vel honesti rationes, una  
 nobis sat valida est ratio agendi, quæ agimus.  
 Nec alia profectò, vel dissimili arte usam cre-  
 diderim piam illam fæminam, quæ, ut tradit  
 Paulus de Barry in solitudine Hagiophilæ,  
 ( *Die Sept. Dissert. de Mortif.* ) spirituali suo  
 moderatori testata est, octonas in uno ovo  
 comedendo se retulisse de suo naturali appe-  
 titu victorias. Utile itè factu in hujusmo-  
 di casibus fuerit rogare aliquem, ut alteru-  
 tram partium æqualium nostri locò eligat;  
 vel D. Gertrudem imitari, quæ cùm è pluri-  
 bus ejusdem generis sive ad victum, sive ad  
 usus alios spectantibus, unum aliquod acci-  
 piendum sibi esset; solebat oculos claudere,  
 tum manu protensa illud quasi à DEO sibi  
 oblatum sumere, in quod primum cæco ta-  
 ctu incurrisset. ( *Infin. L. 1. c. 12.* )

16. Sextò, voluntatem propriam in ip-  
 sis quoque honestis, & sanctis actionibus  
 frangat: sive locò actionis ab ipso sibi propo-  
 sitæ aliam suscipiendo æquè laudabilem, sed  
 minùs fortè ipsi gratam, putà locò cilicii je-  
 junium, aut locò visitationis sacræ cujuspi-  
 am ædis, pii libri lectionem: sive, & quidem  
 po-

potissimum, nihil quantumcunque sanctum, & eximium aggrediendo, quod in mentem, votumque sibi veniat, nisi id prius sui in vita spirituali rectoris iudicio supposuerit, ab eoque probari audierit, imò etiam (quod factius adhuc foret) disertè sibi præcipi, vel suaderi curaverit. Adeò ut deinde rem faciat, non quatenus à se primò cogitatum, & volitum, sed prout merè ab eo comprobatum, & perinde quasi ipse à nemine consultus, rogatusque ex proprio duntaxat instinctu eam sibi alia omnia cogitanti imperasset. Quemadmodum egisse olim Lacedæmonii feruntur circa consilium suæ quidem Republicæ opportunissimum, sed ab homine infamiter flagitioso propositum. Quod cum neque utilitatis causâ repudiandum putarent, & probro sibi ducerent ab auctore tam turpi suscipere, ab alio melioris famæ cive rum sum in senatu proponi curârunt, & verò propriam hujus sententiam communibus suffragiis ratum esse jusserunt. (Gel. L. 18. c. 3.) Contestetur itaque expressè coram DEO, tum in exordio, tum in progressu operis, quantumvis illud voluntati suæ conforme sit, non tamen hac de causa à se fieri, sed ideo duntaxat, quia cum divino ipsius placito congruit, in



in cuius gratiam pari cum alacritate illud vel-  
le, & exequi pergeret, quamvis præter, imò  
& contra voluntatem alieno sibi jussu injun-  
ctum fuisset.

17. Septimò, si in religioso quopiam  
cœtu agit, quàm enixissimo potest, studio in-  
obedientiam incumbat, veluti virtutem, quæ  
D. Joannis Climaci sententiâ (*Gr. 4.*) est se-  
*pulchrum propriæ voluntatis*, & finè qua impos-  
sibile est DEI servo perfectam mortificatio-  
nem sui assequi. Cùm enim nihil hæc sit  
aliud, quàm mystica quædam crucifixio ho-  
minis veteris; quemadmodum nemo potest  
per se unum, & finè alterius cooperatione  
totum corpus suum cruci affigere, sed licèt,  
manu dextera utens, lævam, ac pedes confi-  
xerit, nequit tamen ipsam quoque dexteram  
configere, quæ soluta semper manet, ac li-  
bera, donec ab alio quopiam cruci fuerit af-  
fixa; sic potest sanè quilibet voluntatis suæ o-  
perâ, quæ quasi manus dextera animæ est,  
sensuum, & cæterarum, quibus præditus est,  
facultatum appetitus comprimere; at sola  
voluntate ipsam quoque voluntatem com-  
primere penitus nequit: cùm illa operari sua  
sponte contra naturales appetitus suos mini-  
mè possit; quin propriam ità operando li-  
ber-

R r

ber-

bertatem exerceat : nec proinde mortua dicatur, immobiliterque infixa, quoad per omnimodam alienis arbitriis subjectionem instar dexteræ clavo fixæ proprium quemlibet motum amiserit, neque jam ipsa quidquam velit, sed suo Præsidi volendum sui locò relinquat, séque illi sic omnino subiciens, eam totius hominis crucifixionem absolvat, quantum arbitratu suo operans nunquam perfectè imitari sequi potuisset. Ad hanc igitur tam necessariam virtutem rite, & secundum omnes numeros suos exercendam voluntatem illius, qui DEI locò sibi præest, pro unica volendi, agendique regula accipiat, deliberatissimam habens, nihil unquam operis, ad quod illa impellit, quantumcunque arduum, & molestum ommittere : nihilque, quod illa prohibeat, imò ad quod non impellat, quantumcunque humano suo sensui jucundum, & volente agere. Adeò ut in quavis operandi occasione ad eam protinus, quasi ad universalem & certissimam normam, oculos dirigat, observans, quidnam ab ea præscribatur, & si nihil præscriptum viderit, à suo Præsidi exquirat. Qua in re non modò cavendum ipsi est, nè ullo artificio utatur, efficiendi gratiâ, ut is sibi juxta naturalem suam propensio-

onem respondeat; sed etiam quando rogatus de opere faciendo, aut omittendo sententiam diceret: age, prout libet, tuo rem totam arbitratui permitto; non debet tali responso acquiescere, neque illam libertatem, & exemptionem ab obedientia pati: sed serio, instantérque precari, nè se certi regiminis, & consilii expertem dimittat, sed quid factu opportunius sit, pro sua, quæ divinæ vicaria est, autoritate definiat. Quemadmodum egregius ille sanctioris vitæ magister, Joannes Avila, colloquens aliquando cum P. Dionysio Vasquio, nostri Montillani Collegii Rectore, audiensque hunc tyroni, à quo, nescio qua de re agenda, consultus fuerat, respondisse, ut pro sua sententia ageret; durum nimis id responsi genus putavit, tyronisque partes apud Rectorem suscipiens, nè, quæso, inquit, Pater, respectu mei, tam malè huic fraterculo confulas, & cum in voluntatis suæ manibus derelinquas: ego enim haud gravatè opperiar, quoad illum definito, præcisóque cum responso dimiseris. (*In Comp. Vitæ v. 9. n. 8.*) Imò neque contentus sit à moderatore suo audire, quid fieri à se velit, sed gaudeat, & curet præterea, faciendæ rei modum, tempus, & reliqua adjuncta quàm mi-

nutissimè sibi ab eodem determinari, ut nihil loci suo arbitrio supersit. Nè multa persuadere sibi debet, adhæsiōnem ad propriam voluntatem vitium esse in cunctis deforme, sed in religioso viro etiam monstruosum, quia ipsimet essentiæ professionis repugnant, cum tantundem sit, religiosum hominem, quantum carentem propria voluntate hominem dici, juxta verissimam S. Fulgentii definitionem: (*In Vit. ap. Surium.*) illos esse, stuentis, veros Monachos, qui mortificatis voluntatibus suis, parati sint nihil velle, sed Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare. Quis fuit Abbas Joannes, quem cum jam moriturum circumfusi fratres orarent, ut quod eis memoriale mandatum relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius pervenire; ingemiscens: nunquam ait, meam feci voluntatem. (*Cass. L. 5. de Inst. c. 28.*)

18. Octavò, omni se denique semel in perpetuum propria voluntate coram DEO abdicet: intuens se deinde quasi hominem, qui facultatem quidquam per se ipsum volendi amiserit, expectansque, ut cœnobii Regis voluntatem ad operandum necessariam pro tempore, & loco sibi suppeditet. Quo

propter, si is fortè prædictæ abdicacionis suæ  
ignarus, ex officiosa quadam comitate, at-  
que indulgentia permetteret ipsi in re aliqua  
pro libitu agere, queratur se ab illo in mani-  
bus deserui, non veluti memoratus paulò an-  
tè Joannes Avila dixit, parùm sibi opportunis  
sed nullis: reponens sic permittenti: Pater,  
ego dudum me exui omni penitùs proprieta-  
te volendi, non minùs, quàm rigidissimus  
quisque paupertatis religiosæ sectator omni-  
rerum externarum proprietate se exuit, nul-  
lámque propriam voluntatem ultrà habens,  
nihil per me possum velle; adeò ut perinde  
sit mihi dici: age, quod vis; ac si diceretur:  
age, quod non potes, vel brevius: nihil a-  
ge; quemadmodum idem esset mendiculo  
omni prorsus cibo carenti dicere: comede,  
quod habes, ac: níl penitùs comede. Tu-  
um itaque est, si me aliquid agere oportet,  
illius mihi voluntatem tribuere, quam utpo-  
te jam perpetuò abdicatam nec habeo,  
nec possum habere à me ipso. Ità, in-  
quam, sentire, ac se gerere in hujusmodi ca-  
sibus debet: gaudens præterea, ipsamet alie-  
na, & eleemosynæ nomine accepta volunta-  
te quàm parcissimè instrui, neque à suo mo-  
deratore illam postulans, ad usum longi tem-

poris, sed in singulos dies, imò in singula opera, ritu mendici, qui necessarios commensatus non in mensem, aut annum, sed in diem quæritat: corrogans hodie, quantum victum hodierno sufficit, & cras rursus, quo sustentari illo die possit. Quemadmodum enim minùs pauper est, qui unica divitis alicujus largitione totius anni victum accepit; quam qui illum quotidie minutatim emendicare, ut accipere opus habet; ità minùs inops voluntatis dici meretur, qui unico præsidis iussus illius commensatum ad diutinum tempus, & plurima opera sustenturum accipit; quam illa non nisi particulatim, perque tot multas elemosynas dispensari solet, quot singula peculiaris opera, quæ alia, mòxque alia petuntur singillatim suscipere. Peracto igitur primo opere, quod patrare, atque velle profectus fuerat, mendici instar, qui neque sui quæritam habet, primamque impertitam sibi elemosynam jam absumpsit, ad moderatam rem suam redeat, novam aliam petiturus, & accepturusque voluntatem, qualem ei demum impertiendam putaverit, sive hujus, sive alterius cujusque operis voluntatem. Imò fatigatius adhuc foret, si neque hanc accipientem haberet illum unum iussam rem velle, fatigatius

ipſe haberet, eandem ſolùm exequi, illius voluntate haudquaquam intrà ſe recepta, ſed tota in animo iubentis relicta: ſimiliter atque manus peragit, quidquid anima fieri à ſe vult, non tamen in ſe accipiens, ſed in ipſa relinquens voluntatis actum, quo ad agendum impellitur. Qualem ſeſe D. Paulus exhibuit, cùm DEI unius voluntate contentus clamaret: non utique, *Domine, quid me vis velle?* ſed potiùs: *Domine, quid me vis facere?* (Act. c. 9.) Feliciffimam enim vero hominis ſortem, qui ad hunc modum finè ullo ſeu dominio, ſeu uſu voluntatis ſuæ vivit! Quidnam ultrà illi reſtat, opùſve eſt, ut totus impleatur DEO? Ità, ità profectò, *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua: tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terra.* (Iſa. c. 58.)

